



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. II. Propria opinio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

Anselm. d. 115. n. 70. Similiter noto ex M. Godoy tom. 2. in 3. p. d. 19. n. 51. quod licet rationes, quibus Concilia, imò Papæ utuntur ad aliquid definiendum, non sint de fide, sunt tamen magnæ autoritatis.

N. Tertium est: Licet omnes T. T. conveniant in affirmando, certum esse Papam in doctrinâ fidei, morum, & censuris esse infallibilem, & differant in specie certitudinis, omnes tamen, sive asserant eam infallibilitatem esse de fide, sive negent esse de fide, conveniunt in hoc: quod si Papa id, quod definit, dicat esse de fide, volunt definitum esse de fide; & si tamquam certum, credendum esse ut certum. Ita P. Gasp. Hurt. d. 11. diff. 15.

P. Gasp. Hurt.

§. II.

Propria opinio.

S U M M A R I U M.

Est de fide Papam in materiâ fidei esse infallibilem, n. 96.

An etiam in materiâ morum? n. 97.

Definitio Papæ dicitur vox Dei, n. 98.

Concilium sumit a Papâ firmitatem, non e contra, n. 100.

S. Th. ait, quod aliqua opinio videri potest uni, non alteri, hæretica. Inductio, n. 101.

Ecclesia etiam in materiâ morum est columna veritatis, ibid.

Papæ infallibilitas in censuris, n. 102.

Gravius peccat, qui damnatam a Papâ, ut scandalosam, negat esse talem, quam qui negat esse falsam, n. 104.

An negans esse scandalosam, esset hæreticus, n. 105.

Infallibilitas Papæ in censuris, Canonizatione, &c. n. 106. 107.

N. 96. Prima conclusio: Certum est, esse de fide, quod Papa docens Ecclesiam sit infallibilis in materiâ fidei.

N. 97. Secunda: Probabilis est, esse de fide, quod Papa docens Ecclesiam in materiâ morum, & in censuris opinionum sit infallibilis; adeoque qui opinionem damnatam a Papâ, ex. gr. ut scandalosam, negaret esse talem, esset probabilis hæreticus juxta T. T. citatos n. 92.

N. 98. Prima conclusio probatur à P. Card. n. 127. quia implicat ut Ecclesia credat tamquam articulum fidei, quod Papa definit, & nō credat tamquam articulum fidei, Papam in eâ materiâ non posse errare. Verum hæc ratio, nisi valde hallucinor, me non convincit; ut enim omnes Catholici credunt tamquam articulum fidei illa, quæ per motiva credibilitatis manifestantur, ut à Deo revelata, & tamen non credunt tamquam articulum fidei ipsa

motiva credibilitatis; quod multò magis patet in rustico credente tamquam articulum fidei id, quod Parochus proponit, ut dictum à Deo, nec tamen rusticus credit fide Divinâ ipsam Parochi propositionem; ita posset quis dicere, quod id, quod Papa proponit, est de fide, & creditur tamquam fidei articulus; non tamen est de fide Papæ propositio, nec creditur tamquam fidei articulus.

Quare primam conclusionem ego ita propono. N. 99. Quod evidenter in Scripturâ continetur, ut dictum à Deo, est de fide: sed quod Papa non possit errare in materiâ fidei, continetur in Scripturâ: ergo est de fide infallibilitas Papæ in materiâ fidei. Maior est indubitata, ut dixi in præmonitionibus, & potest videri Grav. 2. p. tom. 4. quest. 2. art. 14. Minor probatur, omnis alijs Scripturæ, Patrum, & Conciliorum locis, & Theologorum super ea reflexionibus. Est de fide quod Petri fides, atque adeo Petri Successorum, in his enim Petrus loquitur; ut enim per Petrum locutus est Christus D. ita per Petri Successores loquitur Petrus, & Christus D. & ita in Concilio Chalcedonenſi, vox Leonis Papæ dicitur vox Petri, Petrus per Leonem ita locutus est; & in sextâ Synodo Constantinopolitana dicitur Charta, & atramentum videbatur Christi D. & per Agathonem Petrus loquebatur: immò ab Adriano Papâ in Epistola ad Imperatorem Basilium, Papæ definitio vocatur vox Dei; de quibus Gravina pag. 61.

M. Gr.

& Rocaberti tom. 1. lib. 1. Est, inquam, de fide quod Petri, & Successorum fides non deficiet, nam Luc. 22. dicitur, Rogavi pro te (alloquitur Petrum, & in Petro Successores, ut omnia Concilia, PP. & T. T. supponunt) ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos: ergo est de fide in Petro, & Successoribus non defecturam fidem, sed tantam habituros fidem, ut fratres, seu Fideles Papæ subiectos possint in eâ confirmare: ergo est de fide infallibilitas Papæ in materiâ fidei, dum docet Ecclesiam, alias deficeret fides in eo, si posset errare. Brevius, si una propositio est hæretica, opposita est de fide: sed est hæreticum dicere fidem Petri, & Successorum defecturam; est enim contradictoria textui citato, & credendo: ergo est de fide non defecturam: ergo est de fide non posse errare. Idem evincitur ex Apostolo vocante Ecclesiam columnam veritatis; est autem columna fundata supra petram, à quâ sumit suam firmitatem, & ideo toto cælo errant, qui docent, Papam sine Concilio posse errare, quasi Papæ definitiones sumerent firmitatem à Concilio, & non potius Concilia, & Ecclesia acciperent à Papâ

M. Gr. Rocab.

N. 100.

Papæ firmitatem; nam Papa est basis; Ecclesia, & Concilia sunt columna. Nunc sic: Petrum posse errare, & non esse fundamentum veritatis, contra quod portæ inferi prævalere non possunt, est formaliter idem: sed secundum est hæreticum: ergo etiam primum: ergo oppositum utrique est de fide; sed etiam est de fide in Petri Successoribus loqui Petrum, & Christum D. ergo est de fide eos errare non posse.

N. Secunda conclusio probatur eodem ferè argumento, quo prima; et si enim non fit ita evidens esse de fide, Papam in materiâ morum errare non posse, nolo enim venditare evidencias contra DD. oppositos, quos veneror ut Magistros, judico tamen probabilius, hoc etiam esse de fide, nempe Papam in materiâ morum errare non posse, præcipue cum S. Th. part. 1. quæst. 32. art. 2. dicat, posse alicui apparere aliquam propositionem ut hæreticam, ejusque oppositam ut de fide, quæ alteri non adeo vim Scripture, & illationis penetranti, talis non appareat: & constar inductione; quot enim sunt, quæ aliqui T. T. ex. gr. in tractatu de Incarnatione, asserunt de fide, alij negant; ita Pater Suar. in 3. p. d. 18. sect. 2. & Lorca ibid. d. 37. n. 3. asserunt esse de fide, fuisse in Christo D. gratiam habitalem; e contra P. Vafq. d. 41. cap. 1. Card. de Lugo d. 16. n. 32. M. Godoy tom. 2. in 3. p. d. 22. negant esse de fide, sive immediate, sive mediate. Ita igitur arguo. Omnis propositio particularis negativa opposita universali affirmativæ, & absolute, quæ sit de fide, est hæretica: Est evidens: sed hæc propositio particularis negativa: *Ecclesia non est columna veritatis in materiâ morum*, opponitur huic universali affirmativæ non restrictæ, *Ecclesia est columna veritatis*, quæ est de fide ex Apostolo: ergo ea propositio particularis negativa, *Ecclesia non est columna veritatis in materiâ morum*, est hæretica: ergo cum sit de fide, Ecclesiam esse absolute columnam veritatis, est hæreticum dicere Petrum, & Successores, non esse Petram veritatis in materiâ morum: ergo est de fide Papam esse Petram veritatis in materiâ morum. Idem evincitur ex eo, quia est de fide, Ecclesiam esse absolute sanctam, quia nititur Papæ docenti, & segreganti doctrinam sanctam à non sanctâ: ergo est de fide Papam docentem Ecclesiam in materiâ morum, nempe hoc esse honestum aut inhonestum, errare non posse.

N. Ex hoc deducitur ratio pro infallibilitate Papæ in qualificatione propositionum; quia est de fide Papam errare non posse, dum docet Ecclesiam in materiâ morum: sed est evi-

dens Papam damnantem, & censurantem opiniones morales, docere Ecclesiam in materiâ morum: ergo est de fide in talibus censuris ferèdis errare non posse. Confirmo: Est de fide Papam errare non posse in eo, in quo assistit illi Spiritus veritatis: sed est de fide Spiritum veritatis ei assistere in censuris ferendis: ergo est de fide, quod in his errare non possit. Minor probatur: Est de fide Spiritum S. assistere Papæ docenti Ecclesiam omnem veritatem; nam dicitur, quod docet Ecclesiam omnem veritatem: ergo cum qualitas propositionum sit una ex veritatibus scitu necessarijs, tanti enim interest scire, an aliqua propositio sit, vel non sit scandalosa, quanti, an liceat, vel non liceat, tale objectum: ergo est de fide Spiritum veritatis assistere Papæ in censuris ferendis. Addo, quod quælibet qualificatio ab eadem potestate descendit: ergo sicut, dum Papa censurat opinionem ut hæreticam, est de fide esse talem, ita dum censurat ut scandalosam, est de fide esse talem. Quare cordatè dixit P. Moya tom. 1. tr. 3. d. 6. quæst. 5. n. 44. vellem id omnes supponerent.

Hinc infer primo, attendendam diligenter censuram, quæ Papa utitur, neque ab una transeundum ad aliam, vel inferendum aliam, nisi una trahat, vel supponat indispensabiliter aliam. Cum ergo per me de fide sit, propositionem, quam Papa damnat ut scandalosam, esse scandalosam, consequenter juxta me erit hæreticus, & peccabit contra fidem, qui negabit esse scandalosam, quia supponeret Papam in tali censura errare, cujus oppositum juxta me est de fide; juxta alios autem supra citatos, & Hozes pag. 451. erraret in fide. Non est autem per me hæreticus, & multò minus per alios, qui propositionem damnatam ut scandalosam negaret esse falsam, quia Papa nihil de falsitate propositionis definit; atque adeo non peccabit contra fidem, sed contra obedientiam debitam Papæ, & contra charitatem, quæ obligat ad non docendum doctrinas scandalosas, et si non creditas falsas, ut bene Filgu. in Censurâ pag. 55. immò ait P. Moya l. c. n. 48. quod P. Mofentiens propositionem damnatam, ut scandalosam, temerariam, &c. esse veram, peccaret peccato curiositatis, contra virtutem studiositatis, quod licet ex se sit veniale, attamen ex circumstantijs esset grave, quatenus ea veritas esset nociva salutis animarum, & sub gravi prohibetur à Papâ; immò si scandalosa sit in materiâ religionis, aut justitiæ, peccabit etiam graviter contra has virtutes. N. 104. C. de Lugo, & P. Moya n. 45. & alijs, gravius erraturum, qui dicet

ceret Papam errare, aut errare posse in censurâ lata, quam qui tantum assereret opinionem damnatam, ut scandalosam, esse veram. Ratio est: quia dicens Papam errare, diceret per me quid hæreticum, & per alios, quid hæresi proximum; qui autem diceret scandalosam esse veram, non diceret quid hæreticum, aut hæresi proximum, quia Papa non definit damnatam esse falsam, aut ejus contradictoriam esse veram: hinc ex. gr. dicens hanc opinionem, *Non est illicitum edere ad satietatem*, quæ damnatur ut scandalosa, non esse scandalosam, esset hæreticus; non esset autem hæreticus, qui diceret eam esse veram; quia Papa non dedit ejus contradictoriam, *est illicitum edere ad satietatem*, esse veram: ut enim est de fide primam esse scandalosam, ita est de fide, hanc non esse scandalosam; contradictoria enim damnatæ habet perfectionem oppositam imperfectioni, quam habet damnata; ex. gr. si una damnatur ut falsa, contradictoria approbatur ut vera; si una damnatur ut scandalosa, aut ut temeraria, contradictoria approbatur ut utilis eterne salutis, aut solidi fundamenti.

N. 105. Tertiò infer me non dicere, quod esset hæreticus, qui absolute doceret, aut practicaret aliquam ex damnatis ut scandalosis, sed tantum, si doceret non esse scandalosas. Quia autem ego sentio, ut dicam infra, scandalum in damnatis oriri ex falsitate contrariâ veritati morum, quam Ecclesia tradit, ideo puto quod esset etiam hæreticus mediatè, qui damnatas, ut scandalosas, diceret non esse falsas. Lege P. de la Fuente in Theolog. Reformatâ disp. 1. an. 34. ad 36. & P. Moy. tom. 1. tr. 1. d. 6. quest. 5. §. 5.

N. 106. An autem sit de fide Papam errare non posse in Canonizatione Sanctorum, aut approbatione Religionum, plerique licet putent omnino certum, negant tamen esse de fide; quia Papa non accipit novas revelationes, ut videri potest apud P. de la Fuente l. c. n. 93. & 113. Ego tamen argumento adducto puto evinci posse esse de fide.

N. 107. P. Moya tom. 1. tr. 3. d. 8. quest. 6. n. 22. iterum quaerit, quâ certitudine certum sit Papam errare non posse in qualificatione propositionum; & postquam retulit aliorum mentem, subdit esse de fide, & dat rationem; quia licet possit quis sine errore in fide defendere propositionem contradictoriè oppositam illi, quam Papa damnavit ut scandalosam, non tamen potest defendi sine errore in fide, quod non sit scandalosa, quia eo ipso assereret Ecclesiam suo in judicio errasse. Hæc P. Moya. Verum fateor me non percipere sensum eorum verborum, quæ etiam Tom. I.

trahit, & sequitur Torrecilla diffie. 4. à n. 24. Torrec. laudans P. Moyam. Non, inquam, percipio; nam defendere propositionem contradictoriè oppositam illi, quam Ecclesia damnavit ut scandalosam, non tantum fieri potest sine errore in fide, immò omnes ad hoc tenentur; assume enim hanc damnatam ut scandalosam, *Non est illicitum edere ad satietatem*, ejus contradictoria est, *est illicitum*; hoc autem utique defendi potest sine errore, immò defendi debet: quare puto P. Moyam, & ex eo Torrec. nisi egregiè fallor, dicere velle, quod quamvis possit quis defendere sine errore damnatam ut scandalosam, non tamen potest sine errore defendere non esse scandalosam, ut patet ex ejus contextu; nam ait: N. 108. Vnde qui post decretum Alexandri VII. affirmaret Mendicantes posse ubique à casibus Episcopis reservatis absolvere, unum è duobus sentire necesse est, aut se defendere propositionem scandalosam, aut Ecclesiam errasse. Hæc P. Moya. Ecce non utitur propositione contradictoriè oppositâ ipsi damnatæ, immò utitur ipsa damnatâ opinione: ergo necessario vult dicere, quod licet quis possit defendere sine errore opinionem damnatam ut scandalosam, non tamen quod non sit scandalosa. Ratio primæ partis est: quia defendens damnatam ut scandalosam, non evincitur docere, quod Ecclesia erret, sed tantum, vel quod ipse defendat opinionem scandalosam, vel quod Ecclesia erret. Hæc obiter dicta sint, ut inde pateat Authorum verba non tantum legenda, sed ponderanda.

S E C T I O V.

Digressio novissima, & utilissima de Episcoporum circa opinionis probabilitatē auctoritate.

§. I.

An Episcopus negare possit absolvendi facultatem, nisi Confessarij se obligent non sequi aliquam opinionem certo probabilem?

S U M M A R I U M.

Laudatur Illust. D. Franc. Barretus, & Pignatellus, n. 109.

Status questionis, ibid.

Rationes Pignatelli, n. 110. ad 113.

Nemo, quem viderim, hoc dubium movet, nisi Jacobus Pignatellus de Jure Canonico optimè meritis, tom. 8. suarum Consultationum Canoniarum consult. 15. ejusque compendiator Pascucci v. confessio pag. mihi 198. quorum volumina, nec non alia, numquam satis mihi laudabilis (ob quotidiana heroicarum virtutum experimenta, & ob